

# TRIBUNAL DIOCESANO DE MADRID-ALCALA

*Coram Ilmo. Dr. MOYSES GARCIA TORRES, Officiali ac Ponente*

NULLITATIS MATRIMONII (*Ex capite impotentiae*)

*SPECIES FACTI (compendiose redacta). Cum partes in causa simul convenirent, mutuam compararunt inter se cognitionem, ex qua amicalis consuetudo non sero fuit exorta. Post annum iam haec consuetudo in veras praematrimoniales relationes fuit traducta, quae relationes sunt normaliter evolutae. Sex circiter mensibus relationes sunt protractae et communi concordia matrimonium fuit celebratum. Instaurato coniugali convictu, qui ad septemdecim annos fuit protractus, haud felix fuit initi coniugii exitus, tum ex indole diversa utriusque nupturientis, quae quibusdam dissensionibus occasionem praebuit, tum praesertim quia, ut tradit actrix in oblato libello, vita intima matrimonii penitus normaliter non fuit absoluta, siquidem proles exulavit. Et ratio est quia conventus iam ante matrimonium duplici orchiti laboraverat una cum obstructione canalium deferentium, quae perfectam consummationem non patiebatur nec inde verum eiacularare semen poterat.*

## IN IURE

1. Primarius matrimonii finis ad procreationem et educationem prolis ordinatur, et hoc tum natura sua tum ex legalibus praescriptionibus, sicut videre est in canone 1.015, par. 1.<sup>a</sup>. Consequenter matrimonialis contractus natura sua ordinatur ad actum coniugalem, quo coniugés fiunt una caro, ut exinde proles procreetur ac educari rite valeat. Si quid ergo directe obstet huic primario fini, ipsi coniugii naturae sese opponet et contractum irritum efficiet. Directe opponitur praepremis tum viri tum mulieris impotentia, quae impedimentum dirimens a natura constituit, ac praetensum coniugium nullum facit. Circa ipsum haec tradit can. 1.068, par. 1.<sup>a</sup>: «Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri, sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso iure naturae dirimit.» Impotentia proinde est incapacitas viri aut mulieris ad copulam perfectam, i. e. de se aptam ad prolis generationem (WERNZ-VIDAL: *De Matrim.*, n. 217, p. 240). Haec incapacitas ex multiplici capite originem ducere pot-

est, vel ex defectu alicuius organi essentialis ad copulam exequendam, vel ex defectu, non organi, sed functionis organi propriae, qui defectus impediatur vel semen aptum ad generationem elaborare, vel ipsum normalibus viis ducere. In omni casu impotentia confundi nequit cum sterilitate in qua, licet generatio dari non possit, hoc evenit accidentaliter vel secundario, dum in impotentia generatio directe et principaliter produci nequit. Sterilitas inde, quae matrimonium non dirimit, est inhabilitas ad actualem generationem, quamvis copula perfecta haberi possit; ita evenit in senibus; impotentia vero copulam perfectam, et consequenter etiam generationem impedit.

2. Duplex praeprius impotentia distingui oportet: Impotentia coeundi et impotentia generandi, in qua distinctione periti medici et civiles commentatores non semper huic canonicae distinctioni cohaerent, et diversimode terminos usurpant, licet in ambitu canonico magna inter utrumque extet differentia. Impotentia coeundi, quae matrimonium dirimit si antecedens et perpetua sit, habetur quando copula perfecta, i. e. apta ad prolis generationem fieri nequit; impotentia vero generandi, quae etiam sterilitas nuncupatur, datur quando existit perfecta copula, attamen proles non procreatur ex aliqua circumstantia accidentali superveniente. Utramque distinctionem una cum genuino conceptu copulae perfectae edocet SRR, in Decis. diei 25 aprilis 1941: «Impotentia coeundi distinguenda est ab impotentia generandi seu sterilitate. Prima habetur quando copula perfecta fieri nequit. Copula perfecta autem, prout in iure intelligitur, est ea in qua vir, erecto membro, in vaginam vere, etsi gradu imperfecto, penetrat atque seminationem saltem partialem naturali modo immediate in ea peragit. Quae seminatio secundum constantem iurisprudentiam S. R. Rotae, intelligitur emissio non qualiscumque liquoris, sed veri seminis, id est, elaborati in testiculis. Impotentia generandi adest quando non obstante copula perfecta, procreatio prolis fieri nequit» (n. 2, p. 285). Quibus verbis elucet quid ad copulam perfectam requiratur, quid nomine veri seminis intelligitur, et aliunde excluditur tum onanismus, tum generatio artificialis. Consequenter qui laborat impotentia generandi, non coeundi, non incapax ad matrimonium habetur; qui laborat vero impotentia coeundi, coniugium valide inire nequit.

3. Ad normam citati canonis 1.068, ut impedimentum impotentiae existat, requiritur ut agatur de impotentia coeundi et ut sit antecedens et perpetua, sive sit absoluta vel relativa, sive natura vel facto hominis acquisita. Antecedens, id est, praecedens matrimonii celebrationi, quia hoc ab initio erit validum aut nullum, prout impedimentum existat necne; si vero impotentia superveniat coniugio iam celebrato et ab initio valido nullatenus influxum exercere potest in ipsum in ordine ad obiectivum valorem. Erit insuper per-

petua quae opera hominis mediis ordinariis quae in discrimen vitam non vertant sanari non possit. Impotentia sanabilis mediis communibus non admodum periculosis et cum exitus probabilitate matrimonium non irritat. Ratio iuridica utriusque in eo stat ut tali adstante impotentia coëundi perfecta copula fieri nequit, cum condiciones ad eandem necessarie desiderentur. En quae super ipsis tradit clarissimus WERNZ-VIDAL: «Ad veram copulam quattuor elementa requiruntur: 1. Effusio seminis ex parte viri, quae si non datur, tametsi unio habeatur membrorum seu vaginae penetratio, vera copula non datur. At, attenda naturali connexionione inter physicam unionem sexualem et seminis effusionem, haec, illa existente, in foro externo praesumitur. Quae praesumptio, convincentibus argumentis elidenda, est maximi momenti in causis ubi quaestio est de matrimonii inconsummatione. Tale argumentum habetur cum constat esse omnino imperviam communicationem virgae cum vesiculis seminalibus et testiculis, tametsi haec organa et verum semen non desint... Quare copula coniugalis perfecta habetur per seminis, ab ipso membro virili intra vaginam, effusionem, ad quam ex parte viri requiritur et sufficit: a) Virga erectibilis; b) unum saltem testiculum ad verum semen elaborandum; c) pervia communicatio inter virgam et testiculum» (*Ius Canonicum*, V., n. 218, pp. 242-243).

4. Ex dictis evincitur ad copulam perfectam inter alia requiri veri seminis elaborationem (in testiculis) ac ipsius effusionem, quamvis spermatozoidis expers habeatur, ut in senibus evenire potest, nam etiam in hoc casu erit verum semen, quamvis minime prolificum. Ita GASPARRI: «Principium activum generationis est semen seu sperma virile, continens spermatozoïda. Hoc sperma elaboratur in testibus, conservatur in vesiculis seminalibus, eiacularur per membrum virile... Licet autem senile vel iuvenile semen saepius non sit prolificum, quia spermatozoïda in eodem aut desunt aut languescunt, tamen est eiusdem rationis seu naturae cum vero semine fecundo, utpote in suis organis naturalibus, nempe, testiculis elaboratum» (*De Matrim.*, I, nn. 503-504). Exinde si vir in copula humorem emittit similem virili semini sed non in testiculis elaboratum, ut accidit in eunuchis et spardonibus et etiam in his quorum testiculi ita informes sunt ut semen elaborare nequant, talis impotentia laborat coëundi quia nec producit nec immittit verum semen. Ita SRR: «Illud tenuissimum liquidum in epididymo elaboratum per coitum extra flueret et in vaginam immitteretur, tamen non esset verum semen, quippe quod nec a testiculis elaboratum esset, nec a testiculis proveniens (25 aprilis 1941, n. 4, p. 287). Quod uberiori sermone subiende confirmatur: «Ad asserendum in viro potentia coëundi utique non sufficit, ut in copula eiaculari possit qualiscumque humor ex glandulis proveniens, sed requiritur ut

iaculari possit semen in testiculis elaboratum et per diversos canales ad extra progressum» (ib. n. 6, p. 289).

5. Duplici ex dictis ratione vir impotentia coëundi laborare dicendus: vel organis caret quibus verum semen elaborare valeat, vel verum elaborat semen, sed extra immittere nequit ob viarum deferentium obstructionem. Super hoc edocet SRR: «Patet quando in viro verificetur impotentia ab defectum veri seminis. Hoc enim ex duplici fonte oriri potest: siquidem aut testiculi semen producere non valent, aut semen in testiculis elaboratum ad extra exire nequit. Primum accidit si testiculi vel a nativitate adeo insufficienter evoluti sunt, ut semen producere nequant, vel si post normalem evolutionem ob morbum veneracum orchitis in tali gradu atrophia affecti sunt, ut totaliter incapaces evadant ad semen producendum. Alterum vero quando canaliculi epididymi, vel caeteri canales deferentes ob epididymitem vel alium morbum in eo gradu obstructi sunt ut semen in testiculis elaboratum ad extra exire non possit» (*ib.*, n. 9, p. 294). Proinde epididymitis bilateralis, qua ambo epididymi adeo obstructi sunt ut semen, si existat, exire non possit, causa est sufficiens ad copulam perfectam impediendam. Quod si epididymitis non solum antecesserit matrimonii celebrationi sed etiam insanabilis habeatur, absque haesitatione habebitur impedimentum impotentiae, matrimonium dirimens. Rem pariter confirmat SRR: «Quod attinet ad virum inter causas impotentiae accensetur obstructio viarum spermaticarum (epididymorum et canaliculorum deferentium), quia obstructio haec impossibilem reddit transitum seminis ex testiculis ad uretram, et ideo vir huic vitio obnoxius inhabilis est ad seminis effusionem, in qua est pars essentialis actus coniugalis» (18 aprilis 1931, n. 4, p. 133).

6. Impotentia item distinguitur in instrumentalem et functionalem, ut vestigia sequamur SRR: «Illa quae organica quoque vel anathomica dicitur ortum ducit ex aliqua laesione, seu ex defectu anathomico, naturali vel accidentali, corporis; haec vero dicta quoque pro variis suis causis psychica, nervosa, neurastenia sexualis, non tribuitur laesioni organi seu corporis, sed pendet, vel e nervorum debilitate, quae saepe cum aliis morbis cohaeret, vel e causis psychologicis» (16 februarii 1940, n. 3, p. 143). Ulterius impotentia est naturalis, ex vitio naturali et intrinseco corporis, et accidentalis, ex causa extrinseca, v. gr. ictu, operatione, morbo. Est etiam absoluta, relate ad omnes personas, et relativa, quae respicit tantum personam determinatam. In omni casu si impotentia talis iuridice habeatur et existat ante nuptias, matrimonium irritat; impedit enim copulam perfectam, seu aptam de se ad prolis generationem, licet per accidens generatio non sequatur, et si vera impotentia detur adimpleri non possunt conditiones quas perfecta copula secumfert, et quae,

iterum repetendum ad haec reducuntur: Effusio seminis, quin sufficiat mera penetratio; seminis veri, in testiculis elaborati, non humoris qualiscumque, prout haberi potest etiam in eunuchis. Effundi et recipi debet modo naturali, ut excludatur fecundatio artificialis, et effundi oportet in vagina mulieris, ut excludatur onanismus. Consequenter perfecta copula dari potest etiam in sterilibus, quia elabore possunt verum semen, quamvis accidentaliter prolificum non evadat.

7. Ex supradictis iam evincitur quandonam in concreto vir impotens censeatur: Si caret virga vel utroque testiculo; si laborat antecedenti, totali et perpetua atrophiam utriusque testiculi; si habet defectum absolutum conductionis seminis, ob atrophiam canalium deferentium, qua verum semen licet elaboretur in testiculis emitti non potest (cfr. CAPPELLO: *De Matrim.*, pp. 414-427). Haec tamen impotentia haud facilis est probatu ob impedimenti indolem, quae simplicem cognitionem effugit. Attamen non est impossibilis probatio, et ad iurisprudentiae tramites et auctorum sententiae, haec media ordinaria habentur: Confessiones utriusque coniugis una cum depositionibus testium, nec non iudiciis ac circumstantia quae in existentiam impedimenti devenire nos faciant; ac praesertim peritiae seu corporum inspectiones quibus innixus iudex facta clarescere poterit, quamvis «non teneatur peritorum conclusiones admittere, quin eorum dicta cribaverit, perpendens scilicet an facta, quibus peritiae innitum vera sint, iuridice probata ante matrimonii celebrationem et ab aliis non contradicta» (SRR, Dec. X, n. 2, p. 3). Non sufficit proinde impotentiam evincere tempore peractae peritiae, sed illam necesse est demonstrare ante matrimonii celebrationem extitisse, eamque perpetuam exstare. En quae circa probationem tradit SRR: «Cum exercitium officii coniugalis sit factum coniugibus intimum, iurata eorum confessio vim probativam habet quamdam, at non plenam... confessio debet corroborari per attestaciones... per indicia et circumstantias concurrentes... ac potissimum per argumentum physicum, seu per inspectionem corporis a peritis faciendam» (16 februarii 1940, n. 5, p. 144). Ex quibus sufficienter ut videtur, demonstratum manet quandonam impotentiae impedimentum praesertim in viro existat, et quo pacto possit iuridice demonstrari.

## IN FACTO

1. Matrimonium de quo impresentiarum disseritur nullum accusatur ob impedimentum impotentiae ex parte viri, existens ante nuptiarum celebrationem, existens etiam modo, et insanabile habitum. Quod impedimentum non consisti in absentia alicuius organi ad generationem essentialis, nec in laesione gravi ipsius, sed in obliteratione canalium deferentium semen e testiculis ad

virgam, ob epididymitem duplicem quam vir subiit et memoratam obliterationem in perpetuum reliquit, quae obex non erat ut vir erectionem haberet, imo et vaginam penetraret, forsán emissione alicuius humoris, qui non est verum semen in testiculis elaboratum, quatenus tale semen, licet detur, exterius effundi non potest ob canalium obstructionem totalem. En quae super hoc capite utraque pars in causa deponit: Actrix manifestat iam ante matrimonium extitisse inter ipsos relationes sexuales completas, et ignorasse conventum aliquo impedimento laborare: «El noviazgo duró seis meses. En este tiempo hubo entre nosotros intimidades sexuales completas..., yo no supe que R. hubiese padecido alguna enfermedad de este tipo... Yo no tuve sospecha de que él no estuviera en plenitud de sus facultades viriles.» Si erectionem habebat, femineum vas penetrare poterat et liquorem eiacularé, nihil mirum si femina virum normalem censebat. Et quod res ita se habuit ipsa actrix subinde manifestat: «En el viaje de novios consumamos el matrimonio por primera vez de un modo normal, porque yo no encontré nada anormal..., hubo entre nosotros la natural conjunción de sexos..., el coito fué normal. No advertí ninguna anomalía en los órganos genitales suyos y hubo penetración y eyaculación de semen dentro de mi vagina en ese primer contacto y en los que después hemos tenido durante nuestra convivencia.» Attamen quidquam notatu dignum: mulier gravida non evasit: «Durante mi vida conyugal yo no he quedado nunca embarazada»; et exinde memorat causam quae suo iudicio obex fuit ut filios procrearet, morbum nempe quam vir subiit: «Yo atribuyo esta carencia de embarazo a la enfermedad que padece mi marido y que yo descubrí hará unos diez años porque acudí al doctor L. en vista de que no teníamos hijos, y ese médico me manifestó que yo estaba con todos mis órganos normales para poderlos tener. Así se lo comuniqué al doctor U.; este médico me manifestó a mí que mi esposo tenía obstruídos los canales y que ésta es la causa por la cual él no podría tener hijos.» His circumstantiis, supervenientibus insuper coniugalibus discordiis, materialis separatio inter eos fuit producta, tempore iam supra indicto. Conventus confirmat infirmitatis existentiam ante matrimonium, ex qua devenit inhabilitas ad procreationem, licet non careret erectione convenienti et eiaculatione, non veri seminis, sed alicuius humoris. Concordat proinde cum actricis confessione: «Durante el noviazgo tuvimos intimidades sexuales. Antes del noviazgo yo padecí una enfermedad que impedía la procreación por mi parte. Esta enfermedad es la llamada orquitis doble, que fué la resultante de una blenorragia... Al fin me curé de la blenorragia y de la orquitis, pero por lo visto yo debí quedar estéril para la procreación. No le comuniqué a mi novia la existencia de esta enfermedad ni las consecuencias que me pudo dejar... Yo fuí al matrimonio en pleno uso de mis facultades viriles, pero ignorando si era o no estéril... La primera no-

che de casados consumamos normalmente el matrimonio... Por mi parte hubo la erección necesaria para realizar la penetración. La eyaculación se efectuó dentro de la vagina de mi mujer... Un año después de acabada la guerra yo me sometí a una investigación médica ante el doctor O., el cual certificó que mi semen era infecundo... Durante toda nuestra convivencia matrimonial mi esposa no ha quedado nunca embarazada... Estimo por todo lo dicho que el defecto mío que impidió la consumación del matrimonio en orden a la fecundación lo padecí antes de casarme... Actualmente continúa la consecuencia de la orquitis.» Ex utraque confessione evincitur: existentia morbi viri iam ante matrimonium, quae morbus blenorragia et orchitis duplex nuncupata, licet non impediret erectionem et virgae penetrationem, causa fuit absentiae generationis sobolis. Partes, in re medica haud peritae, ignorant naturam intimum infirmitatis, et tantum ex auditis a medicis sciunt de obstructione canalium deferentium semen ex parte viri.

2. Excussi testes ad duplex genus Nobis sunt reducendi: Alii ordinarij nuncupati, sive scientia propria sive ex relatis cognoscunt existentiam morbi viri, et quidem ante nuptias, tradentes adhuc perseverare; sciunt insuper et nomen infirmitatis nec non qualitatem eiusdem; attamen velut imperiti in medica scientia, ignorant ambitum et effectus morbi, nec ipsis fas est decernere an agatur de vero impotentiae impedimento vel minus. Non ideo eorum testimonium est spernendum. Alii testes, sunt iam quodammodo qualificati, ut periti medici, qui naturam infirmitatis ac sequelas eius agnoscunt, sive quia ut medici conventum viderunt, sive quia ab eodem vel ab alijs de infirmitate audierunt, maioris ponderis, ut patet erunt horum attestaciones. Iisdem adiungendi erunt periti a Tribunali deputati, de quorum peritia suo loco disseremus.

(*Omissis.*)

3. Sequentes testes, medici, iam scientifico rigore de morbo disserunt, naturam eius exponunt, effectus qui derivantur necnon fundamenta praebent, quibus dignosci fas sit an impotentia existat vel minus. Et imprimis magni est habendum testimonium Dni. Dris. Q., qui non semel affirmat perfectam copulam in sensu canonico explicato dari non potuisse ob defectum eiaculationis veri seminis, quod constituit impotentiam, eamque esse antecedentem et insanabilem. Hic doctor anno 1929 conventum examinavit, et attestacionem diagnostici exaravit, quae actis adest, manifestans: «R. fué asistido en mi consulta privada en Madrid en 1929 de una uretritis gonocócica, complicada con epididimitis doble, que determinó una azoospermia absoluta desde aquella fecha. Esta azoospermia estaba producida por obliteración de las vías se-

minales; me consta que persiste desde entonces y crea una esterilidad absoluta no pudiendo fecundar ninguna mujer» (fol. ...). Coram Tribunali serius praedictum testimonium ratum habuit in omnibus, et si eidem credamus, et non est cur dubitemus inspecta maxima auctoritate scientifica testis, apparet vera impotentia in sensu canonico explicato, non ex organi defectu sed ex obstructione canalium, impediendo ut verum semen in testiculis elaboratum eiaculari possit. Testimonium inde est absolutum et firmum; et talis impotentia evadit antecedens—anno 1929 iam vir erat eadem affectus—et perpetua ex ipsis verbis attestationis, in sensu canonico impedimentum non constituit, nam iam diximus terminologiam quam periti adhibere solent non apprime conceptui canonico cohaerere, et in hoc casu sterilitas confunditur cum impotentia, siquidem ex tali defectu copula perfecta dari nequit. Ipse testis in declaratione iudiciali uberiori sermone rem exponit et semel et iterum exposita confirmat: «Traté como médico a R. en el año 1929. Entonces padecía una blenorragia, complicada con epididimitis doble. A pesar de esta enfermedad yo juzgo que este señor podía realizar la penetración de su pene en la vagina de la mujer; ahora bien, entiendo que este señor no podía eyacular normalmente verdadero semen, por estar obstruido el conducto que de las vesículas seminales va, o mejor dicho: del epidídimo va a las vesículas seminales. Esto en Medicina tiene un nombre, que es «impotentia generandi». Normalmente el que se queda estéril por este motivo, o sea por la obstrucción de ese conducto por una cicatriz fibrosa de ambos epidídimos, permanece estéril hasta el final de sus días... Cuando este señor se casó ya padecía esta enfermedad... La esposa no ha quedado en estado, que yo sepa. Atribuyo esa carencia de embarazo a la impotencia *generandi* del marido... Puedo asegurar bajo la santidad del juramento prestado que R. se hallaba incapacitado para consumir el matrimonio antes de contraerlo en el sentido que ya he explicado, o sea, porque este señor, debido a su enfermedad, no podía eyacular verdadero semen... Estimo que no puede ser sanada esa impotencia *generandi* del varón...» (fol. ...). Claritate, quatenus fas est, attestatio gaudet, et quamvis de sterilitate sermonem faciat, necnon de impotentia generandi, revera in sensu canonico agitur de impotentia coëundi, ob saepius repetitas rationes.

4. Alii testes medici non directe interventum habuerunt circa virum, attamen de infirmitate cognitionem habent, sive ex ipso convento sive ex aliis, et confirmant supra exposita a Q. Ita Dnus. D.: «Lo único que sé es que (*omissis*) R. padeció una enfermedad de tipo venéreo con inflamación de ambos testículos. Esta enfermedad pudo impedir la generación...» (fol. ...). Similiter Dnus. N.: «Yo no he tratado como médico en ninguna ocasión a R., pero sé que ha sido tratado profesionalmente por el Q. Lo trató de una or-